



EUROPAEA FOLIA SECUNDO QUOQUE MENSE LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS  
TEL:734 55 42

## NOTIOR POPULARIBUS NOSTRIS FIAT LATINITAS VIVA.

Aequalium nostrorum perpauci adhuc sunt qui aliquid de Latinitate Viva iam audiverint : hoc est primum et non minimum problema, cui occurimus. Imprimis ergo oportet maximam operam demus ad Latinitatem Vivam notiozem ~~facere~~. Hac in re "media popularia", quae ab Anglo-Americanis dicuntur "mass-media", sunt maximae utilitatis. Quare gavisi sumus cum diurnarius Televisionis Belgicae ad nos inopinantes telephonavit rogans num sibi liceret proximae Fundationis Melissae sessioni interesse nosque de Latinitate Viva interrogare.

Circiter viginti sodales participaverunt sessionem die 22° m. Februarii Bruxellis habitam, inter quos duo ex Germania venerant atque duo erant natione Dacoromana. Advenit

Georgius Moucheron, diurnarius Televisionis Belgicae, sermone Francogallicae, cum duobus technicis multisque instrumentis audivisificis. Ipse ante circiter quindecim annos philologiae classicae studia in universitate Lovaniensi perfecerat et sat bene verba Latina nostra intellegebat. Nos etiam Latine interrogare voluit. Scitu dignum esse videtur quales quaestiones ei maioris momenti videantur et quid respondiderimus :

- *Vos, linguae Latinae cultores, estisne postremi milites, qui, adverso proelio, cladem morari conantur ?*

Non pugnamus ad ultimum castellum linguae Latinae scholaris servandum.



2 Ad futurum spectamus; sumus enim propugnatores linguae Latinae vivae, id est :- lingua simplex ad usum cottidianum apta

- lingua necessariis novis vocabulis praedita, ad omnes res etiam recentissimas tractandas,
- lingua tamen, cuius norma maneat grammatica classica,
- lingua hodierna, quae etiam sit, eis qui cupiunt, optima via ad ingentem thesaurum litterarum Latinarum omnis aevi inveniendum.

*-Respuistisne dominationem linguae Anglicae?*

Non pugnamus contra linguam Anglo-Americanam. Non enim solis Europaeis lingua Anglo-Americana hodie usurpanda est in multis rebus oeconomicis scientificisque, sed etiam verbi gratia Iaponibus Latino- Americanis necnon Arabibus; hoc tantum pendet ab hodierna praestantia politica et oeconomica Foederatarum Civitatum Americae. Sed non raro mutatur scaena mundi et condiciones hodiernae non impediunt quominus verbi gratia Iapones vel Sinenses vel Arabes suam identitatem servare velint et linguam propriam colere pergant. Nonne apti sumus ad idem faciendum, nos Europaei, quibus hereditati est praestantissimus cultus civilis nec pluribus impar.

*- Cur sermonem Latinum in Europa adhiberi vultis ?*

Iam quadraginta fere annos Europaei inter se foederare conantur; longinquus vero etiamnunc videtur esse scopus. Inveterati enim nationalismi foederibus oeconomicis solis non tolluntur, ut omnibus hodie patet. Anima singularis necnon communis necessaria est ad disparia membra corporis Europaeum apte coniungenda et una movenda.

Ad patriam novam condendam Europaei egent novo mytho, qui necessario e patrimonio Latino hauriendus est, cum id solum tum ad cunctos cum ad singulos pertineat. Praeterea nulla gens sermone Latino offenditur.

Sodales hic congregati sunt veri cives Europaei, quos nullum saeptum dividit.

*- Nonne nimis difficilis est lingua Latina ?*

Latina verba scribuntur ut audiuntur; idem dici non potest de multis linguis vernaculis.

Lingua Latina uti possumus modo humili vel modo sublimi. Satis est plerumque modus humilis; evenit tamen ut non displiceat verba sollemnia audire modo sublimi prolata.

Multi contradicunt declinationes difficiles esse. Declinationes vero etiam sunt verbi gratia in lingua Theodisca vel in lingua Russica; quarum vestigia etiam supersunt in lingua Francogallica; nemo tamen Francogallus errat cum ei dicendum est: "il (ille) mange", "donne lui (illi) à boire", "embrasse le (illum)". Hoc tantum pendet a consuetudine loquendi. Quare dicimus magistris : non satis est Latine legere, necessarium est loqui, oportet discipuli verba Latina bene pronuntiata audiant, intellegant et repetant ...

Georgius Moucheron non solum commotus est fide gregis nostri, sed etiam delectatus miro spectaculo Ingae Pessarra, quae ad acroasin suam "de originibus saltationis orientalis" illustrandam saltationem Gaditanam ipsa solute demonstravit, colorata vela gerens crotalissansque.

Postero die Dominico 23° m. Februarii per tres minutas inter vespertina Televisionis nuntia diurnarius de his rebus imagines monstravit, benigno commentario auctas .

Gaius LICOPPE Bruxellensis

## DISCIPULI ATHENAEI REGALIS BRUXELLENSIS

GATTI de GAMOND

Latinitatem Vivam Inveniunt

*Optima occasio Latinitatem Vivam notiozem faciendi nobis oblata est a Domina Francisca ELKHADEM, quae linguam Latinam Bruxellis in athenaeo regali Gatti de Gamond docet. Gaium Licoppe enim invitavit ad acroasin de Latinitate Viva faciendam in athenaeo coram discipulis, qui linguam Latinam discunt eorumque magistris. Acroasi perfecta, cum non satis temporis superesset ad disputandum cum discipulis, ille rogavit nonne quid censerent ad Melissam Latine scribere vellent. Suarum cogitationum summam miserunt hanc :*

Latinitatis vivae opinio, etiamsi somnium aut utopia magis quam factum videtur, discipulos retinet et dicitur vinculum esse posse inter Belgas ipsos et inter Europaeos : sit enim facillima communicatio inter nationes si omnes Latine loquamur. Praeterea usus hic honori sit linguae Latinae quae nunquam omnino periit. Sed multa obiciuntur: primum difficultas hodiernarum rerum exprinendarum antiqua lingua;

deinde homines ipsi quorum consuetudines mutandae sint utendo lingua quae optimatum creditur; postremo historiae hiatus eo magis perspicient quo minus erudiuntur et status commodior videbitur Latinis nationibus quam Germanicis. Sed re publica iuvante et mediis modis subvenientibus, schola efficere potest ut viva fiat lingua Latina dum a pueritia discipuli linguam Latinam discant.

*Gratias eis agit Melissa. Unum tantum subnotabimus : lingua Latina non est incommodior quibus sermo patrius est lingua stirpis Germanicae; nam, verbi gratia, in sermone Anglico plus quam dimidia vocabulorum pars originem Latinam habet; in sermone Theodisco servantur declinationes et syntaxis magnam partem derivata est e syntaxi Latina. Francogallis difficile est accentum in vocabulis Latinis recte ponere et syllabarum quantitatem observare, id quod quasi sua sponte faciunt Germani.*

## NUNTIA EX ORBE LATINO

### Ex Hispania



### Henricus TIERNO GALVAN,

magister urbis Matriti, duo de septuaginta annos natus et lethali morbo affectus, Dominico die 19° m. Ianuarii extremum spiritum effudit. Olim ius politicum docuit in universitate Salmanticensi et semper fuit sincerus socialista. Plerique Matritenses, etiam iuniores, videntur eum multum amavisse. Eorum tristitiam participat Melissa, cui contigit eum convenire Feriis Latinis anno° 1984° Matriti habitis. Tunc, cum in Universitatem Complutensem ad Ferias inaugurandas venisset, nobis licuit paulisper cum eo familiariter colloqui et mirati sumus eum bene Latine intellegere. Feriarum participes honestavit sumptuoso convivio in vetere domo "Casa de Cisneros" ordinato, inter quod convivas Latine allocutus est.

Sit ei terra levis.

# DE INSTITUTIONE LATINA IN SCHOLIS

Legi attente dissertationem de docenda lingua Latina viva in scholis ("Melissa", n.9-XVI° Dec. 1985) doctissimae professorissae Genovefae Immé. Ecce, omnino concise, quae mihi videntur adnotanda adhuc de hac quaestione:

1 - Institutio linguae Latinae vivae debet incipere tantummodo a prima classe, ut fit de qualibet lingua viva. Sunt necessarii ad hoc fasciculi qui quodammodo ponant in oribus professorum verba et locutiones, quibus ipsi quasi manu ducantur ad hanc novissimam et, praesertim initio, aliquantum arduam experientiam docendi Latine linguam Latinam.

Oportebit praeterea, sicut fit cum docemus linguas exteras, ut professor callide misceat linguam patriam et linguam Latinam statim a prima praelectione, ita ut discipuli tandem audiant loqui Latine et sensim arripiant prima vocabula et primas simplicissimas locutiones Latinas, et gradatim attrahantur et ipsi ad imitandum professorem, incipientes loqui ipsi quoque Latine, lente et planissime.

Hi fasciculi (quorum titulus est "Latine loquor") offerunt etiam dialogos simplicissimos et exercitationes varias...; sunt iam partim parati et possunt peti ab Editrice ELI - P.O. Box 6 - 62019 Recanati (Italia).

2 - Haec "experimentatio" (ut hodie dicitur), oportet fiat cum adsensu Praesidis vel Rectoris Scholae (qui persuasum habeat quanti momenti et quanti fructus sit institutio Latini vivi) et fiat in una tantum prima classe. Haec autem "experimentatio" necesse est adducatur usque ad finem curriculum ab eodem professore vel a professoribus qui iam cognoscant hanc novam methodum docendi Latinum vivum. Haec una classis ipsa cito attrahet curiositatem et cupiditatem cognoscendi et studium in discipulis et in professoribus ceterarum classium, et sic poterit fieri initium renovationis methodi traditae.

3 - Quomodo autem poterit superari animus vel indifferens vel alienus professorum? Oportebit eis suadeatur institutionem linguae Latinae, factam ope Latini simplicissimi et planissimi,

esse optimam propaedeuticam ad intelligendos et fruendos posterius Classicos, quorum exquisita et architectonica lingua nihil aliud est nisi "secundus gradus", nisi "sublimatio" Latini cotidiani, "colloquialis".

Professor qui, nutritus per annos Latino litterario, numquam descenderit ad nectendam simplicissimam sermocinationem Latinam, inveniet profecto difficultatem si conetur se exprimere Latine; at cogitet se esse quodammodo lexicon Latinum vivens, in sua mente existere innumera vocabula et locutiones Latinas, quae sunt, ut ita dicam, "sopita". Sufficiet ea expergefacerere per aliquot dies exercitationis, et iam omnia se deglomerabunt et se offerent ori ut adhibeantur ad sermocinandum Latine.

Talis est experientia eorum qui participant vel Seminaria vel Férias Latinas; post paucos dies se animadvertunt, intime commotos, iam aptos ad colloquendum Latine, utique maxima planitate.

Ceterum, qui decernat sequi hanc novam methodum docendi Latine Latinum, inveniet, in fasciculis de quibus tetigi, opportunissimum adiumentum.

4 - Varias exercitationes, quae proponuntur a professorissa Immé, sunt optimae et aptissimae ad excitandum studium linguae Latinae in qualibet classe. Sicut vero iam adnotavi, ut perveniatur ad usum expeditum et legitimum linguae Latinae vivae, inevitabile est (ut fit de ceteris linguis exteris) ut incipiatur "cursus regularis" Latini vivi a prima usque ad ultimam classem, qui "cursus" apte coniungat praxim cum theoria, sermocinationem Latinam cum interpretatione Summorum Auctorum.

5 - In nulla Universitate Europaea, pro dolor, existunt hodie curricula (vel, ut hodie vulgo dicitur, "cathedrae" vel "cursus") linguae Latinae vivae. Est ne aliquis audax Rector qui decernat exornare suam Universitatem eiusmodi curriculo, quod qui participant, debebunt, expleto anno, subire periculum (vel examen) loquentes tantummodo Latine?

Guido ANGELINO

## DE PRONUNTIATV LATINO RESTITVTO

opusculum ad usum discipulorum, magistrorum et omnium cultorum

L A T I N I T A T I S V I V A E

*Hunc libellum modo conscripsit Iacina VERREET, quem his verbis producit:*

Tempore quo Latinitas uiua in plurimis regionibus, non solum in Europa sed etiam in America atque in Iaponia, modo mirabili floret, pronuntiatum Latinum restitutum, cuius normae anno 1956° in Conuentu Auennionensi propositae sunt, adhiberi et exerceri necesse est.

In seminariis Latinis occasio mihi data est audiendi Belgas, Francogallos, Germanos, Italos, Graecos, Hispanos, Americanos ... qui sermonem Latinum sine ulla difficultate colebant; sed quisque more suo linguam Ciceronis pronuntiatione patria ita colorabat ut impedimenta magna, non de lingua ipsa sed de modo pronuntiandi, nonnunquam existerent.

Multa de pronuntiatu antiquo iam scripta sunt. Eis autem, qui textum quemdam recte pronuntiare cupiunt, opus est grammatica, glossario, opere de prosodia et libro de phonetice, ut

regulas diuersas colligere et adhibere possint. Itaque commoditatis causa, non ad finem historicum neque philologicum, hoc opus confeci.

Praeterea mea quidem sententia operae pretium sit pronuntiationem linguae Latinae rectam in scholis obseruari, qua discipuli res grammaticas et scripta melius comprehendere possint. Tunc coniugationum et declinationum species facilius perspiciant et themata certius discernant (causā - causā, uidere legere, animīs - hominīs, manē - manē, hīc - hīc, audio - odio..).

In lingua Graeca pronuntiatu et quantitas uocalium respiciuntur, cur non in lingua Latina?

Iacina VERREET

*Qui libellus peti potest scribendo ad:*

NUNC EST GAUDENDUM

Rue de l'Athénée, 4 B-7000 MONS

(Pretium est 60 Fr. B.)

## De IBERICA RELIGIONE ante Romanos quid notum sit.

*Prima pars divulgata est in numero 9°; hic sequitur pars altera eademque ultima:*

Secundum Silium Italicum, Celtiberorum usus erat mortuorum corpora sub divo relinquere ut ea vultures laniarent. Ergo, apud eos homines mortuorum mansio caelum erat; suprema divinitas in locis superioribus manebat.

"His pugna cecidisse decus, corpusque cremari  
tale nefas. Caelo credunt superisque referri  
impastus carpat si membra iacentia vultur."

(Sil. Ital. III,341-343)

Secundum Aelianum (DeNat. An. X,22) etiam Vacceos, Numantinorum socios, eadem funera faciebant. "βακκαιοι... των αποθησκοντων νοσω τους νεκρους υβριζοντες ως ανανδρως και μαλακως τεθνεωτων θαπτουσι πυρι. Τους δε εν πολεμω τον βιον καταστρεψαντας ως καλους και αγαθους και αρετης μετειληχοντας γυψι προβαλλουσιν, ιερων το ζων ειναι πεπιστευκοτες". Ergo tantum milites vulturibus dabant. Talia funera etiam apud Persas Facta erant. Herodt. (I,140,1 et III,16,2). "ως ου προτερον θαπτεται ανδρος Περσεω ο νεκς πριν αν υπε ορνιθος η κυνος ελκυσθη". In hac re Iberi a Gallis Celtisque qui extra peninsulam habitabant multum differunt. De druidibus, dicit Lucanus (Fars. I,454-458)

".....vobis auctoribus umbrae  
non tacitas Erebi sedes Ditisque profundi  
pallida regna petunt; regit idem spiritus artus  
orbe alio; longae, canitis si cognita, vitae  
mors media est ....."

Etiam Caesar de eis dicit: "In primis, hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios, atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto" (BG VI,14,5)

Secundum Diodorum, eadem Galati, qui etiam Celti erant, credebant. (V,28,6): "ενισχυει γαρ αυτους ο Πυθαγορου λογος, οτι τας ψυχας των ανθρωπων αθανατους ειναι συμβεβηκε και διετων ωρισμενων παλιν βιουν, εις ετερον σωμα της ψυχης εισδυομενης". Apud eos populos bene nota vaticinatio est. Appianus et Plutarchus eadem narrant, exercitum Romanorum qui Numantiam obsidebat, a magis vaticinatoribusque circumdatum esse. Ei magis atque vaticinatores, indigenae, sicut mercatores meretricesque, erant.

"Ελθων (Σερτοριος) δε εμπορους τε παντας εξηλαυνε και εταιρας και μαντεις και θυτας, οις δια τας δυσπραξιας οι στρατιωται περιδεεις γεγωωτες εξρωντο συνεχως "(Απ. Ιβ,85). "Επει δε ελθων εις το στρατοπεδον ... μαντεις μεν ευθως εξηλασε και θυτας και πορωβοσκους ".(Plut. Aroph. reg.XVI).

POPULI OCCIDENTALES: Quidam Lusitanus Sertorio albam cervam donavit; qua Sertorius usus est ut si Dianae numine imbuta esset.

Ex ea narratione diversae conclusiones gignuntur:

-Animalia sacrata extabant

-Dianae cultus etiam propagatus erat

-Censebant deos cum hominibus comunicare

(Plut.Sert.Xii;I: ουχ υπε ανδρ ος αλλοδαπου λογισμων, αλλεπ ο θεου στρατ ηγεισθαι πειθομενοις ), atque suaviores in quosdam homines esse.

Apud Lusitanos frequentia humana sacrificia erant. (Plut.QRLXXXIII)

Talia sacrificia in Africa Galliaque prohibita fuerunt. Romae etiam aliquando talia faciebantur.

Eorum significatio et in Gallia et in Hispania eadem erat; aut pro vaticinatione aut pro aliquibus redimendis facta sunt.

De Gallis Caesar dicit:(BG VI,16) "Qui sunt adfecti gravioribus morbis quique in proeliis periculisque versantur aut pro victimis homines immolant aut se inmolaturos vovent.. quod pro vita hominis nisi hominis vita reddatur, non posse aliter deorum immortalium numen placari arbitrantur."

Etiam Strabo de sacrificiis locutus est ( III,3,6); των δ'αλωντων τας χειρας αποκ οπτοντες τας δεξιας ανατιθεασιν ". Etiam Galli, Galati Germanique captivos aliquando inmolabant.

Apud Lusitanos, vaticinatio ex sacrificiis facta erat, sicut apud Celticos druides.

Sed etiam druides omnino defuisse in peninsula Iberica videntur. Ad hoc explicandum, variae causae adducuntur:

- puri Celti deerant in peninsula

- omnia monarchia deerat, quacum druides ligabantur

- Druidorum pithagoricae opiniones non bene cum rusticis Lusitanis miscuntur.

Denique, aliquae superstitiones eorum cognitae sunt; v.g. apud quemdam sacratum montem quoddam celerium equorum genus gignabatur; in ea regione Zephyrum perflabat. Ergo, putabant ipsum Zephyrum equas fecundare.

POPULI SEPTENTRIONALES: (Str III, 4, 16): "" Ενιοι δ ετο υςΚαλλαικο υσαθ εουσφρασ ιτο υςδ εκελτ ιβηρασκα ι το υςΠροσβ ορουστων ομ ορωναντοιζανον υμ ωτιν ιθε ω (θυειν) ταις πανσελ ηνοις ν υκτωρ προ των πυλων πανοικ ιους τε χορε υειν και παννιχ ιζειν".

Haec notitia non ad litteram intellegenda est; talibus significari videtur aut Galaicis deesse deorum imagines aut iis non licere eos nominare.

Summa divinitas apud eos Luna est. In eius nomine saltabant atque nocturnas festas faciebant, tantum si luna plena erat; talis cultus ligatur adversaturque solis cultui.

Solis cultus, ex archaeologia, valde propagatus erat apud Numantinos atque centrales populos.

Erat in Gallicia quaedam insula Lunae consacrata( Σελ ηνης ορος). Altera notitia de Lunae cultu, apud Appianum invenitur (Ib,82):οι δε Παλλ αντιοι θεου σφ ασ αποτρ εποντες ανεχ ωρουν

Quemdam bellicosum deum venerabant (Str.III, 3, 7:"κα ι τ ω Αρει τρ ογον θ υουσι και ι το υς αιχμιαλ ωτους και ι το υς ιππους). His deus magni momenti est. Apud Caesarem, Silium Italicum, Florum atque Lucanum Mars invenitur sicut praestentissima divinitas Celtica.

"Et quibus inimitis placatur sanguine diro

Teutates horrensque feris altaribus Esus

et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae"

(Luc. Fars.I,444-446)

Apud quemdam Lucani scholiastem, Esus Mars est, Taranis Dis Pater, atque Teutates Mercurius, Teutates Mars, atque Taranis Iupiter.

Fortasse, quamdam solarem speciem habet (Macr. Sat. I,95: "Martem solem esse quis dubitat? Accitani, Hispana gens,

simulacrum Martis radiis ornatum, maxima religione celebrant, Neton vocantes").

His deus "sanguine diro", i.e. humano, placatur. Ergo humana sacrificia faciebant, sicut S. Martinus Dumienis narrat ( De Correptione Rusticorum, VIII: "Suaserunt etiam illis daemones ut templa illis facerent et imagines et statuas sceleratorum hominum ibi ponerent et aras illis constituerent, in quibus non solum animalium sed etiam hominum sanguinem illis funderent").

Etiam Prudentius dicit Vascones humana sacrificia facere. Cantabros equos inmolare Horatius atque Silius Italicus narrat:

"Et laetum equino sanguine Concanum" (Hor. Carm. III,4,34)

"Cornipedis fusa satiatis, Concane, vena" (Sil. Ital. III,361)

Etiam Lusitani equos sacrificabant. Equorum sanguinem bibebant ut si eucharistia fuisset, nam equos sacros censebant. Equorum cultus cum solis cultus ligabatur, quoniam eorum imagines solaria signa comitabantur.

Etiam quidem deus Mercurio assimilatus extabat ( Cic. De nat. Deor. I, 84: "At primum, quot hominum linguae, tot nomina deorum; non ut tu, Velleius, quocumque veneris sic idem in Italia Vulcanus idem in Africa idem in Hispania.")

Galaici per avium volatum vaticinabant:

"Fibrarum et pennae divinarumque sagacem flammaram misit dives Gallaecia pubem"

(Sil. It. III, 344-345)

Etiam lacus venerabant. In lacibus secures iaciebant (Suet. Galba, VIII, 3: Nec multo post in Cantabriae lacum fulmen decidit, repertaeque sunt duodecim secures haud ambiguum summi imperii signum").

Atque fontes etiam (Plin. NH XXXI 23, 24: Et in Cantabria fontes Tamarici in auguriis habentur...").

Luna saltationibus venerata erat. Etiam in Martis honorem concursus gymnasticos habebant? (Str. III,3,7: τελουσι δε και αγωνας γυμνικο υς και οπλατικο υς και ιππικο υς...)

Etiam Lusitani gymnasticos ludos ante Viriati cadaver fecerunt.

"In huius gentis finibus sacer mons est, quem ferro violari nefas habetur; sed si quando fulgere terra proscissa est, quod in his locis adsidua res est, detectum aurum velut dei minus colligere permittitur." (Iust. Epist. Hist. Phil. XLIV,3 , 6)

Ex hoc facto tres conclusiones gignuntur:

-Numen sive genius loci extabat. Talis deitas cum fulgure ligatur, i.e. Iupiter.

-Ferrum impurum erat. Ergo, non licebat ferro fodere atque aurum extrahere.

-Aurum deorum donum erat.

Lucani verba de tribus praestantibus diis confirmata sunt: Iustini textum Iovem exstitisse confirmat. Strabo, ut supra diximus, de Marte locutus est. Mercurii cultus ex quadam inscriptione in qua deus "Deuori" -i.e. deorum deus- appellatur confirmatus est.

Hoc epithetum Caesaris verba confirmat: "Deum maxime Mercurium colunt"

In Gallaecia flumen oblivionis quoddam extabat:

"Decimus Iunius expugnationibus urbium usque Oceanum perdomuit et cum flumen Oblivionem transire nollent raptum signifero signum ipse transtulit et sicut transgrederentur persuasit" ( Liv, Per, 55)

Secundum S. Martinum Dumiensem aquarum arborum rupiumque cultus extabant. Tales cultus Cetici sunt, atque valde propagati per totam Europam.

POPULI MERIDIONALES-ORIENTALES:

Probabiliter extabat etiam Lunae cultus, nam erat cuidam divinae luci consecrata. (Str. III,1,9: "και ιπ ολις Εβουρα και ι τ ο

της φωσφορου ιερ ον, ην καλουσι Λουκεμ διουιναι).

Sunt etiam quidam loci Saturno consecrati. Omnes loci semper sub divo sunt. Deerrant templa.

Apud eos populos dei inferi extabant; cum Scipio Astapam penetrasset, Livius (XXVIII,21,1) de incolis narrat: "Illos se per deos superos inferosque orare..."

Fortasse Livius funera Hispanica descripsit (XXVIII, 21, 1): "Marcius inde in barbaros, si qui nondum perdomiti erant, sub ius dicionemque redigendos missus. Scipio Carthaginem ad vota solvenda dis munusque gladiatorium, quod mortis causa patris patrique paraverat, edendum rediit. Gladiatorium spectaculum fuit non ex eo genere hominum, ex quo lanistis comparare mos est, servorum de castata ac liberorum qui venalem sanguinem habent, voluntaria omnis et gratuita opera pugnantium fuit. Nam alii missi ab regulis sunt ad specimen insitae gentis virtutis ostendendum, alii ipsi professi se pugnuros in gratiam ducis, alios aemulatio et certamen, ut provocarent provocatique haud abnuerent traxit. Quidam quas disceptando controversias finire requierant aut noluerant, pacto inter se ut victorem res sequeretur ferro decreverunt. Neque obscuri generis homines sed clari inlustresque, Corbis et Orsua, Patruales fratres, de principatu civitatis quam Ibero vocabant ambigentes ferro se certaturos professi sunt".

Sed fortasse funera vere Hispanica sic fuerunt (Liv. XXV, 17, 4): "Alii ab Hannibale ... tradunt in vestibulo Punicorum castrorum rogam extractum esse, armatum exercitum decucurrisse cum tripudiis Hispanorum motibusque armorum et corporum suae cuique geni adsueta..."

Secundum Diodorum taurum sacrum animal censebant (IV, 18, 3: τ ας δε βους τηρουμ ενας συν εβη ιερ ας διαμειναι κατ α τ ην Ιβηρ ιων μ εχρι των καθημ ας καιρων.

Talis cultus cum rebus pecuariis atque fecunditate ligatur.

ATAECINA: Haec dea proprium epithetum habet; Turibrigensis, Turobrigensis aut Turubrigensis. Hoc epithetum regionale est, sed Turobriga nondum reperta est.

Huius cultus inter flumina Baetem (Guadalquivir) et Tagum propagatus erat. De eius nomine, variae doctrinae sunt:

Ategena: "Ate" lingua Celtica "iterum" significat. "Gena" latine genita. "Adaig".. : Lingua Hibernica "nox" significat. Ergo, noctis dea.

At: Radix indo-europaea igni ligata est. ( Cfr. lat. "ater", ai. "atharvam" etc)

Dea infera est. Aliquando cum ramis invenitur, ex quo putatur etiam agricolae speciem habuisse. Sed tamen tales rami cupressi esse possunt, atque cupressus Proserpinae signum est.

ENDOVELLICUS: Frequenter eius nomen invenitur. Eius templum circiter C chiliometra ab Emerita distabat.

Dei nomen Celticum esse videtur. "Endo" sensum superlativum habet. "Beltz" lingua Vasconica "atrum" significat, quamquam etiam fieri potest ut ex vocabulo Wellos, quod "Bonus" significat, oriatur.

Endovellicus Lusitanus Asclepius est. Aegri in eius templo pernoctabant ubi ipse deus somnos iis mittebat ad quid faciendum esset explicandum.

Vere, sicut Epidauri, incubatio erat.

Frequenter cum immortalitatis signis invenitur. Est deus qui animas tutatur.

Inventa sunt tria capita, LXX arae atque XXX imagines exsculptae; ergo in eius templo probabiliter sacerdotes erant ad ea servanda.

Ex libro "Religiones Primitivas de Hispania", Blazquez auctore.

Iohannes Albertus Moreno Tortuero  
Alumnus Matritensis

# DE ATUATUCORUM POPULO ET CLARISSIMO OPPIDO

*Pars prima divulgata est in numero 9°; hic sequitur pars altera :*

II. DE CLARISSIMO OPPIDO. Sicut Camillo Jullian mihi quoque oppidum anni 110<sup>1</sup> a.C.n. idem atque illud oppidum anni 57<sup>1</sup> a.C.n., sed mihi non ibi collocandum est ubi Camillus Jullian post et ante multos alios id posuit. Nam anno 1895 p.C.n. H. Schuermans, aduocatus Belgicus quidem bene notus et antiquitatis amator heu! tam notus quam causidicus (6), commentariolum scripsit "De Atuaticis in mosa" (in A.S.A.N., 21, 1895, pp. 243-246). Unde cuncti historici, philologi, archaeologi, externi et Belgici, oppidum anni 57<sup>1</sup> a.C.n. prope Mosam locauerunt siue in "arce" Namuci, quo confluent Mosa et Samara, siue in monte Falesia (Mont Falhize), prope urbem Hoiium (Huy) in ripa laeua Mosae siue in monte "Hastedon" prope uicum Sancti Seruasii (Saint-Servais) apud Namucum (7).

Quamquam "perspectae auctoritates" in hac opinione unanimes sint, praecipue de "arce" Namuci, nulla harum triarum solutionum neque ratiocinationibus neque factis siue historicis siue archaeologicis resistere posse mihi uidetur.

Primo aduersus tria loca simul pugnat iam haec res, parua quidem specie et aspectu primo, uere autem permagna, quae tamen ab omnibus ignorata uel neglecta est. Nam Caesar sic oppidum describit (II,29,4) : "Quod, cum ex omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque haberet, una ex parte leniter adcliuis editus in latitudinem non amplius ducentorum pedum (= 60 m.) relinquebatur; quem locum duplici altissimo muro munierant." Porro adcliuis (= accliuis) demonstrat cliuum ad oppidum ascendisse; at in tribus locis prope Mosam laudatis ab oppido ad hostem ascendit atque ergo ad oppidum descendit (non ascendit); itaque in his tribus locis aditus non adcliuis, sed decliuis est contra atque id quod Caesar dicit.

Secundo aduersus Namucum et montem Falesiam pugnat ea res, quod Caesar ne Mosam quidem neque Samaram laudat, quae flumina, si ita res fuisset, defensionis praecipuae partes fuissent (Caesar Mosam saepe citat, Samaram nunquam (in sensu fluminis hodie "Sambre" appellati; alterum flumen in Ambianis est, quod hodie "la Somme" uocatur).

Tertio aduersus Namucum et "Hastedon" pugnat oppidorum superficies : Namuci XLVIII iugera (12 hectares), "Hastedon" LIII iugera (13 hectares) multo nimis parua erant ut LVII personarum milia continerent quae in oppido Atuaticorum anno 57° a.C.n. a Caesare numerati sunt (II,33, 5-7) (8).

Quarto tandem aduersus tres simul solutiones denuo repugnat ratiocinatio. Etenim, si, a Neruii reuertentes, Atuatici usque ad Mosam reuenissent, id est ad extremam finium suorum partem in orientem solem uergentem, per milia passuum C, id est fere per septem dies, fugere debuissent Atuatici, Caesare et praecipue eius equitatu Atuaticos persequentibus et omnibus finibus a Romanis occupandis et praedantis relictis. Ceterum, si res ita euenisset, credi deberet Atuaticos maxime Romanos metuisse; porro, nedum Romanos timerent, Atuatici aduentu exercitus Romanorum crebas ex oppido aduersus Romanos excursiones faciebant (II,20,1). Ceterum eo consilio, ne denuo tales excursiones ex oppido fierent (9), Caesar eos uallo circummunivit (10), id est simplici fossa, lorica (parapet) et praeacutis trabibus adtextis pedum (11) in circuitu XV milium (= 4 km 4444....), id quod iam oppidi magnitudinem demonstrat (12). Ceterum, ubi ... "turrim procul constitui uiderunt", quae eorum muro aliquantum superponenda erat (13), primum irridere ex muro atque increpitare uocibus "Atuatici coeperunt, Romanorum paruae staturae illudentes (II, 30, 3-4).

Ergo hypothesis secundum quam Atuaticorum oppidum prope Mosam situm fuerit omnino reicienda est.

## Adnotationes.

(6) Idem Schuermans anno 1872 p.C.n. alium magnum, erroneum consecrauit, cum "uiam Mansueriscam" uiae hodie dictae "Caroli Magni uia alta" (levée Charlemagne) id est uiae inter "Bottrange" et Heriam prope Mosae traictum (Heer-lez-Maastricht) adaequauerat, qui error hodie ubique iniuria permanet; uide Albertum GRISART, Trois faux problèmes : Vêquée, levée Charlemagne et mansuerisca, in Annales du XLIII<sup>e</sup> Congrès de la Fédération des cercles d'Histoire, Archéologie et Folklore de Belgique, (section : Histoire du Moyen Age), Saint-Nicolas-Waas, 21-25 août 1974, p. 84-88.

(7) Vide Camillum JULLIAN, op.l., p. 270.

(8) Id est militum occisorum milia IV et personarum uenditarum milia LIII (II, 33, 5-7). Contra ea magnificum oppidum montis Falesiae multo maior est pro tali numero, etiamsi, ut debetur, ex eo ea pars eximitur quae "Huy Petite" uocatur et si munitiones a statione uiae ferratae urbis Hoiu directo ad stationem uiae ferratae "de Statte" ducuntur (uide Albertum GRISART, César dans l'Est de la Belgique, in Les Etudes Classiques, Namur, 1960, p. 157, adn. 54). Ceterum hoc oppidum non Atuaticorum, sed Eburonum erat.

(9) Vide supra, adn.5.

(10) Vallum Romanum neque prope oppidum neque prope flumen constructum erat, sed aliquantum ab iis distans et infra uicinos colles (II,33,2) : "qua minime arduus ad nostras munitiones ascensus uidebatur, eruptionem faciebant. In collibus autem erant castella Romana".

(11) Haec computatio per pedes (non, sicut Caesar numerare solet, per passus) a Caesare repetita esse mihi uidetur ex narratione legati praepositi ad uallum conficiendum. Idem numerus pedum repetitur in narratione, ab ipso Caesare facta, hostium impetus contra Q. Ciceronis hiberna anno 54° a.C.n. et, fatente Caesare, hostes ibi uallum a Caesare aduersus Atuaticos constitutum imitati erant (II, 30,2; V,42,1-2).

(12) Vide tamen supra, adn. 10 : uallum non ubique nec omnino prope oppidum erat.

(13) Id est ascendens altius quam eorum murum, non in eorum muro collocanda, uelut credebant Atuatici. Praeter hanc turrim, quae per rotas in aggere murum adpropinquare debebat usque ad magnam fossam, quae ante oppidum iacta erat (II,32,4) et hodie adhuc exstat, nullus impetus a Romanis aduersus oppidum factus est : nam, rotas non uidentes, Atuatici existimauerunt Romanos non sine ope diuina bellum gerere et se sine proelio reddiderunt (II,31,1-3). Itaque errat S.J. DE LAET, The Low Countries, Thames and Hudson, 1958, p. 167, cum de oppido "Hastedon" scribit : "Vestigia certa ignis indicare uidentur oppidum post implacabile proelium expugnatum esse. Subicitur oppidum "Hastedon" esse oppidum Atuaticorum a Caesare oppugnatum". At hoc argumentum contra ipsam causam litigat. Nam Caesaris descriptio tam dilucida demonstrat Caesarem Atuaticorum oppidum non destruxisse et aduersus id neque igne neque armis usum esse, sed contra ea Atuaticos ipsos noctu uallum Romanum aggressos esse (II,33,2-4). Num Caesaris narrationem clarissimus archaeologicus haud attente fortasse legerit?

SEQUETUR IN PROXIMO NUMERO



# DE RESTITUTIONE PALENTIAE

Pallantiam Numantiamque duas Tarraconensis provinciae civitates fuisse illustres Pomponius Mela firmiter enarrat. Ante Palentina moenia aliquos consules Romanos a Vaccaeis incolis tunc profligatos fuisse documenta testantur. Denique Pallantia sive Palentia iuxta quosdam cum paucis civitatibus ad sublevandam Numantiam bellum adversum Romanos duro ardore gerentem operam dederunt. Palentia iam pridem ad conventum Cluniae iuridicum pertinebat; aliquando et privilegio nummos cudendi fruebatur. Constantinum imperatorem Palentini ducibus Didymo ac Veriniano non agnoverunt, qua de causa a Constantio, Constantini filio, diro praelio absumpti clade fuere. Haec brevissima tantum eminent et tantummodo historia largitur. Circa oppidum villae colonorum Romanorum, qui agros colebant, sub aratro aliquando deteguntur, quarum pavimenta hodiernum Musaeum urbis praesertim monstrat.

In primis tribus Vaccaeorum, incolae cuiusdam vastissimae harum terrarum partis, domos suas quae oppidum tempore agente informarunt ad ripam fluminis Carrionensis dexteram quod tellurem foecundat dum in Pisoracam confluit exstruxere aedificaveruntque, attamen magna planities cum flumine quieto, quum tumet totas terras inundat aquarum impetu et oppidum ergo et domos et vias aliquando demoliebatur. Sic anno 405 p.C.N. Palentia fluxu earum plane invasa erat.

In Wisigothorum diebus regni episcopus Palentinus, ab initio christianismi institutus, fere omnia concilia signavit, eiusque territorium sane longum amplumque erat, ita cum finibus Toletani complebatur; quo, obiter afferatur, Segobienses dioecesim eis creandam a Montano, urbis regiae praesule (522-531) quae Toletum erat, rogaverunt, inter rationes adductas magnam terrarum extensionem antistitis Palentini. Toletanus praesul facillime petitionem concessit Segobiensium magno plausu.

Post maurorum irruptionem, anno DCCXI declinante, ruinae excitumque Palentiae fuere, eius notitia in dies dissipabatur sola memoria cuiusdam episcopi hoc titulo fruentis sine subditis sine iurisdictione in aedibus regis Asturum Oveti adstabat. Locus oppidi haud noscebatur, campi sine cultura gelu soleque vexabantur.

Per medium aevum Christiani reges inter se pugnantes et foedere aliquando colligati contra mauros bellum ad recipiendas eorum terras olim Wisigothorum saepissime ferebant, veram restitutionem in pectore servabant suo.

Saeculo X declinante comes Castellae quamdam libertatem se regendi a Legionensi rege usurpabat qua de causa inter duos, ad modum cunei gratia protectionis quo ad incursiones belli utriusque, comites Monzonensis et Saldaniensis surrexere, et quantum in arte belli gerendi sedare animos alicui licebat utraque pars medullam duorum intervalli comitatum observat.

Die quoque IV Non. Februarias (secunda huius mensis) anni 1017, Sancius Garcia, Castellae comes, obiit atque Infantem, iuxta nomen filiis regum, haerede excluso principe dicto, et omnibus filiis comitum Castellae, adhuc in Hispania proprium, Garciam Sanchez haeridem ante septem annos et duos menses natum sinivit, ergo patri suo in Castellae comitatu lege imperante successit, his dictis in historia Hispanorum simplici voce Infans nominatur et noscitur puer hic.

Ob gubernandi impotentiam pro eo corpus regens extemplo constituitur : Petrus, Aucensis episcopus, quidam de familia comitis selecti et omnium princeps Urraca, infantis Garciae mater. Dum haec in Castella eveniunt, Ildefonsus V rex erat Legionensis. Quodam in documento temporis ; "Adefonso in Legionem et comite Garseani in Castella".

Accepto ab Infante comitatu, statim Ildefonsus V rex Legionensis Castellam invasit quocum litigia partium nascebantur, teneris pueri aetatis causa.

Sancius III Garces, Maior iam tunc vocatus, Navarrae rex (1000-1035), qui per Aquitaniam multa optaverat, cuius dux levir erat suus, licet interfuisset nihil obtinuit, seditiones et tumultus ordine toto amisso Castellam quadam festinatione afficiunt, aut a familia quod levir Infantis vocatus aut sponte sua, saltem quia potens animo corporeque, spiritu imperterritus et armis partus in re familiari interesse voluit, si fortuito de infesta inordinatione utilitatem ad sua acquirere poterat, sane maiorem partem tunc secuturus, ergo et interventum conicere cogitavit et egit, suo exercitu convocato comitatum Castellae pro pace et iuribus Infantis defendendis invasit. Olim in Aquitania propugnator se adnominavit et modo iterum in Castella propugnator fiebat. Ad finem usque Monzonensem comitatum pervenit : regem Legionensem non timebat maxime quoque protector cuiusdam Infantis et familiae suae.

Et limites Monzonenses vinculo amicitiae quoties volebat transiebat, praesertim venationis otio, tunc campi inculti erant quos animalia et milites casu visebant, nullius momenti cuiquam nisi iurisdictionis causa.

Per annum 1032 venatione Sancius III Maior Navarrensis canem suum amisit atque subito animadvertit, eumque amabat, non deseruit. Inter herbas, arbores, in dumeto quaesivit et invenit, fama est, quodam in foramine : os ignotae speluncae, a nemine transeuntium obsignatae. Spelunca columnas alicuius templi christiani dierum gloriosi Wisigothorum regni politas silentio umbrae includebat. Rex nesciebat locum at clericis percontatus rem est, deductione facta solum oppidi Palentiae ante tria saecula et amplius a mauris in ruinam versae. Attamen errabant et vehementer errabant. Palentia quondam ad ripam dexteram fluminis Carrionensis, spelunca vero prope flumine sed in sinistra ripa.

Flamine religioso capto rex intrepidus Navarrae, protector omnium, urbem reficere conatus est : speluncam suis expensis adimplevit, a Romano Pontifice restitutionem sedis episcopalis petivit et colonos favore suo tutelaque advocavit. De facto sedis episcopalis cum anno 1035 denuo erat, et vidit rex quamquam XV Kalendas Novembris (die duodevicesima Octobris) ipsius anni e terra migravit. Ad praestigium afferendum novae dioeceseos ossa Antonini, diaconi et martyris, qui sub Romanis Pamiae confessionem olim dederat subieratque ab Aquitania quoque ubi tantos amicos inimicosque habebat vexit. Errore aliquoties Palentiae haec ossa martyris, cum Maria Virgine urbis et dioecese os patronus, a Wamba rege translata fuerint inscie auditur, sed testimonia scripta Sancii translationem narrant, etiam Wisigothorum Ecclesiae nunquam de sancto Antonino cultum quemdam celebrarunt. En Martyrologii Romani notitiam : "Pamiae, in Gallia, sancti Antonini Martyris, cuius reliquiae apud Ecclesiam Palentinam, in Hispania, magna veneratione asservantur". (IV Nonas Septembris seu die secunda Septembris).

Tempore opportuno alios fines refecta dioecesis habebit quod denique Concilium apud Abbatiam Husillos, circa decem chiliometra ad urbem septemtrionem, anno 1088 conventum dioeceseos a mauris iam renovatis praebit.

Deinceps pauca hac in urbe eminent. Studia Generalia, prout dicebantur, ad modum primae Universitatis Hispaniarum Ildefonsus IX (1208) condidit; non abhinc multis annis declinanda erant. Ecclesia cathedralis magni ordinis in saeculo XIV fabricabatur, cuius amplitudine septimum ordinem omnium servat Hispaniarum.

Eustasius Sanchez.F. VILLARAN



# Melissa Litteraria

Hic novus titulus a praesenti numero pro "Pagina Philologorum" substituitur, cum melius videtur exprimere propositum nostrum, quod est textus omnis aevi producere, qui sint parum noti, Latinitate vero exemplares.

Hanc rubricam praecipue curare pergit Theodericus Sacre, qui die 27<sup>o</sup> m. Februarii in studiorum universitate Lovaniensi doctor litterarum philosophiaeque factus est summa cum laude et iudicum gratulationibus. Ei toto pectore gratulatur Melissa.

Cum thesin defenderit de opere AONII PALEARII VERULANI, poematum huius auctoris lectoribus infra proponit : de quibus versibus commentarium edet in numero sequenti.

## DE AONI PALEARII POEMATO AD M. ANTONIUM MAPHAEUM

### Pars prior: textus

Catellus ille tam venustus Ursulae labella vix momorderat, cum visus est repente ad illam maestulus tardis redire gressibus, cervice deflexa ad pedes et auribus pressis, quasi se nosceret causam dedisse inexpiabilis mali et casum doleret Ursulae, a qua tot oscula improbus decerpserat suaviora nectare, e cuius ore tot cibos exceperat dulci sapore praeditos vincente Hymettium liquorem et Indicum, et siquis est his gratior. Sed cum fuisset Ursulae propinquior, tamquam sibi ignosci petens (dignorat illam namque ab omnibus, velut suam parentem filia), non ausus est statim in sinum perrepere, ut semper assueverat, nec extulit venustulum caput, sed ad pedes misellum corruit, ubi est diu moratus albula Ursulae sperans levare dextera. At cum videret opprimi gravissimo illam dolore ob mollia demorsa labra nec iacentem attollere, verum minari verbera, surrexit et erectis auribus bipes adstitit, utrimque dimovens caudam iubatam, et altero pedum genu laevum petivit Ursulae, lambens eburneas manus et blandiens leni latratu, quo suae herae levaret vocolas maestas et ut ei dolorem avelleret, nisus fuit tum saltibus conscendere in mollicella femina. Manu sed illa reppulit iam saepius frustra studentem inscendere. Qui aegre ferens sic negligi se ab Ursula, cuius levamen unicum prius solebat esse, cui molestias solus graves depelleret, dum se huc et illuc erigit, dum dexteram nunc porrigit, nunc alteram, concessit illico gemens in angulum cubili herili proximum ac stratus illic iacuit, altis personans cenaculum conquestibus, quosque servi sternerent triclinium dapesque ferrent splendidas. Qui non videtur amplius cognoscere ullum, sed omnes negligit cibosque spernit, quos in os immittere student; et illic condolens	casum tremendum et horridas herae minas moratus est ad vesperum. Tunc una servularum ad Ursulam tulit invitum, et ille desilit gremio solutus, et redit celerrime quo iam semel confugerat, multum verens praesentiam suae Ursulae, cuius labella presserat. Mox conquievit involutus linteis, dum ardente Phoebus lampade lustraret orbem quinquies et quinquies caput sub undis mergeret. Nec sumpsit interim cibum nec faucibus ullum liquorem sorbuit. Nam etsi benigne ancillulae illum saepius omnes iacentem inviserint cibosque conditissimos iniecerint in os diebus singulis, tamen subinde respuit nec lambere aquam vel aliud visus est, quod non videret Ursulam, quae pascere illum prius consueverat. Quare misellum <del>paene</del> vox defecerat et effluebat spiritus ab ore, quando nuntiatum est Ursulae vita catellum excedere. Accurrit exsanguis ac in limine gravi tremore concidit oppressa; quam repente servulae duae propinquiores sublevant et brachiis utrimque sustinent, ab hoc dum se dolore recreat; nec inde multo post perita servula aspergit illam citria aqua suaviterque olenti perfricat unguento; at illa colligit vires et ad mentem reversa pristinam recta ad catellum prosilit, qui non adhuc sic sensibus defecerat quin Ursulam dignosceret, quam tantum amabat; Nititur tum assurgere ut in sinum eius involet, at debilis tam languida et tam lassula nequit movere cruscula. Tunc est profectus recta ad Ursulam, sua qua in sede vix consederat, existimans illam recentis vulneris oblitam et ut deproceret ex eius ore delicatulos cibos, quos illa semper mandere libans solebat in catelli gratiam, dum in prandiis accumberet, et indere in fauces suis mollissimis labris; quem ut ad se progredi sedemque saltu scandere ac velociter mensae insilire conspicit, irata dextera misellum corripit	60 65 70 75 80 85 90 95 100 105 110
---	--	---



# SCIENTIA LATINE

## ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

Mense Augusto anni 1985<sup>i</sup> inter conventum Dunelmensem primum mihi contigit Doctorem Petrum HRANDEK convenire. Nam, cum rogatus essem ut sessionem, ubi tractarentur argumenta pertinentia ad scientias naturales moderarer, unus ex oratoribus fuit Petrus Hrandek, qui acroasin habuit "De Newtoni latinitate".

Sic fortunate evenit ut noscerem virum generis nimis rari, qui mathematicam et linguam Latinam simul callet atque amat. Statim mihi in mentem venit eum rogare ut auctor fieret commentariorum mathematicorum, qui sub nova rubrica in Melissa ederentur. Maxime gavisus sum quod libenter assensus est. Ipse nobis infra patefaciet propositum suum, cuius utilitas mihi videtur multiplex. Nam nimis pauci homines videntur recordari permulta scripta ubi de mathematica vel de scientiis naturalibus tractabatur usque ad XIX<sup>um</sup> saeculum Latine divulgata esse. Petrus Hrandek insciis monstrabit res mathematicas et scientificas etiam hodie commode posse Latine tractari.

Iuvante Petro Hrandek, magistris linguae Latinae etiam facultas dabitur in horto technicorum audacius ambulandi. Aliquid discipulis narrare poterunt de historia scientiarum, de longo et flexuoso itinere cogitationum, quibus ad statum hodiernum mathematicae perventum est, id quod nostris temporibus nimis raro adumbratur, cum plerumque formularum usus practicus incogitate docetur.

G.L.

**Ut lectores Petrum Hrandek paulum noscerent, Melissa ei nonnullas quaestiones posuit, quibus affabiliter respondit:**

1) *Ubi et quando natus es ?*

Natus sum in oppidulo Oberwart, quod in Regione Castellana, Austriae provincia orientale, situm est, a. D. X Kal. Sept. anno domini MCMXL (id est 23 - 8 - 40)

2) *Ubi studia secundaria fecisti ? Didicistine ibi linguam Latinam et Graecam . Amabasne iam tunc temporis illas linguas ?*

Studia secundaria Vindobonae feci. Studia et mathematicae et linguae Latinae iam tunc me maxime delectaverunt. Valde dolui, quod lingua Graeca in gymnasio non docta est. Quamobrem rudimenta linguae Graecae mea sponte didici.

3) *Ubi studia universitaria fecisti ? Quibus in disciplinis incubuisti ? Eratne iam diu tibi mathematicarum amor ?*

In universitate Vindobonense (Wien) et Oenipontana (Innsbruck) studiis mathematicae et astronomiae et philosophiae operam dedi. Privatim ad studium philologiae classicae, quae vocatur, me contuli. Studiis finitis anno 1965<sup>o</sup> Oenipontis doctor philosophiae creatus sum.

4) *Quibus muneribus post studia functus es ?*

Post nonnullas peregrinationes (inter alia in Finniam) ad Societatem Siemensianam veni, ubi usque ad hunc diem problemata mathematica et informatoria solvo.

5) *Quibus de causis es amator et fautor latinitalis vivae ?*

Non solum disciplina mathematicae et studium linguae Latinae, verum etiam historia doctrinarum mihi curae sunt. Colligo vocabula et verba mathematica sermonis Latini. Mox lexicon mathematicum Latinum me divulgaturum esse spero.

6) *Quomodo tibi in mentem venit conventui Dunelmensi interesse ?*

In commentariolo periodico, cui titulus est "Vox Latina", de conventu Dunelmense legi. In animo habui conscribere acroasin de pervestigationibus meis et cognoscere homines consentientes.

7) *Putasne fieri posse ut hodie res mathematicae Latine doceantur ?*

Certissime. Videlicet sermo Latinus nec mortuus est neque artificialis (sicut est lingua Esperanto).

Postremo breve de rubrica, cui index est "Scientia Latine". Themata prima, de quibus tractare mihi in animo est, haec sunt:

- theorema Pythagoricum
- integratio areae parabolicae
- demonstratio mathematica
- signa mathematica
- theorema magnum Fermatianum
- calculatio radicum
- distantia stellarum
- etc. etc.

## Introductio

Obiectus huius novae seriei commentationum est latinitas litterarum, imprimis scientiae naturalis, quae vocatur (id est mathematicorum et physicorum). Compluribus exemplis, quae e variis disciplinis sumpta sunt, auctor, qua ratione etiam hodie res scientificae Latine doceri et tractari possint, demonstrare aggreditur.

Commentationes sequentes plerumque divisae sunt in partes tres.

Prima pars est quodam modo lectiuncula didactica, in qua de rudimentis mathematicorum et aliarum disciplinarum disputatur. Argumenta selecta sunt cum e theorematibus clarissimis tum e rebus fundamentalibus magni momenti, quae et ab alumnis gymnasii facile intellegi possunt.

In altera parte homines scientifici non solum classici temporis, verum etiam aetatis mediae et ceteriorum temporum

verba propria faciunt, quatenus Latine scripserunt. Ex operibus eorum excerpta brevissima considerantur, quae ad res in prima parte dissertas pertinent.

In parte extrema termini technici in textu adhibiti, qui in lexicis classicis non reperiuntur, collecti et Theodisce,

## Pons asinorum.

Nemo est, qui nobilissimum theorematum totius mathematicae Pythagoricum esse neget. Illud theorema, quamquam iam veteribus Babyloniiis notum, tamen cum nomine Pythagorae coniunctum est, quia ille famosus sophistes et mathematicus sexti saeculi ante Christum natum et arithmeticas et geometricas pervestigaciones de triangulis rectangulis perfecisse dicitur atque eius nomen in permultis scriptis de themate nostro traditum est.

Aetate media homines in disciplina mathematica eruditi theoremati Pythagorico cognomen Magister Matheseos dederunt. Et his temporibus theorema a Francogallis interdum "le pont aux ânes" et in regionibus nonnullis Germaniae "die Eselsbrücke" appellatur, id est pons asinorum, de quo tiro mathematicae, ut asinus imprudens, ad rudimenta huius disciplinae vehitur.

Non sine ulla delectatione lectori fuerit illud propositum radiotelegraphema longitudines laterum minimi trianguli Pythagorici integri (id est numeros 3,4,5) continens in universon mittendum esse, ut homines dialogum cum extraterrestribus animantibus ratione praeditis inient.

Antequam nunc ad demonstrationem ipsam venio, sententiam theorematis tribus modis commemorabo, ut lector diversas perceptiones duobus milibus annorum ortas videat :

- (Anicius Manlius Severinus Boethius, circiter 480-524):

"In triangulis, in quibus unus rectus est angulus, quadratum quod a latere rectum angulum subtendente describitur, aequum est his quadratis, quae a continentibus rectum angulum lateribus conscribuntur."

- (Anaritius Arabs, circiter anno 900°, translatum in Latinum a Gerhardo de Cremona):

"Omnis trianguli orthogonii quadratum factum ex latere subtensio angulo recto equale est coniunctioni duorum quadratorum, que fiunt ex duobus lateribus, que continent angulum rectum."

- (Forma moderna):

"Erectis supra latera trigoni plani figuris similibus, trigonum ita rectangulum est, si summa arearum duarum figurarum quarumvis aequalis est areae tertiae figurae et vice versa.

Demonstratio simplicissima theorematis, quae perspicuitate argumentationem menti lectoris mandat, est haec:

Esto ABC triangulum rectangulum, cui angulus rectus est in C. Quadratum consideramus, quod compositum est ex quattuor triangulis congruentibus cum triangulo dato et quadrato, cuius latus est hypotenusam trianguli dati (vide figuram 1)

Area quadrati CDEF est aequalis  $(a+b)^2$ ; ex altera parte, si singulas partes quadrati coniungimus, area est aequalis

$$c^2 + 4 \cdot \frac{ab}{2}$$

Evadet

$$(a+b)^2 = c^2 + 4 \cdot \frac{ab}{2} \quad (1)$$

Francogallice, Anglice redditi sunt.

Spe ducor commentationes meas lectorem paulum delectaturas esse. Maxime gauderem, si lector benevolens per litteras me certiore faceret de iudicio suo sive mihi auctor esset consilii practici.

et per reductionem primo

$$a^2 + 2ab + b^2 = c^2 + 2ab$$

et denique

$$a^2 + b^2 = c^2 \quad \text{q.e.d.}$$

Theorema Phytagoricum et Romanis veteribus bene notum erat. Imprimis agrimensores Romanorum in geometria plana operam posuerunt.

Marcus Iunius Nipsus, qui -ut historici putant- saeculo altero vixisse dicitur, hoc pensum suoapte ingenio invenit. Auctor textum traditum sequitur, necessaria supplementa uncinis saeptum sunt.

In trigono hortogonio, cuius podismus (hypotenusae) est ped. XXV, embadum ped. CL, dicere cathetum et basem seperatim. s.q. semper multiplico hypothenusam in se. fit p. DCXXV. ad hanc summam adicies IIII embada, quae faciunt pedes DC. utrumque in unum. fiunt ped. ∞ CCXXV. huius sumo latus, quod fit p. XXXV. deinde ut interstitio duarum rectarum inveniatur, facies hypotenusae numerum in se. fit p. DCXXV. hinc tollo IIII embada, et remanent ped. XXV. huius (sumo latus, quod) fit V. erit interstitio. quam mitto ad duas iunctas, id est ad XXXV. fiunt ped. XL. huius sumo semper partem dimidiam. fit ped. XX. erit basis trigoni. si tollo de XX interstitutionem, id est ped. V, reliqui sunt ped. XV. erit cathetus eiusdem trigoni.

Nipsi theorema in notatione moderna hunc in modum redditur :

$$a = \frac{1}{2} (\sqrt{c^2 + 4F} + \sqrt{c^2 - 4F}) \quad (2)$$


$$b = \frac{1}{2} (\sqrt{c^2 + 4F} - \sqrt{c^2 - 4F})$$

In his formulis a, b denotant cathetos, c hypotenusam, F embadum trianguli rectanguli quaesiti.

(1) Lege: a plus b uncinis saeptum in se aequale est c in se plus quater a b divisum per duo.

(2) Lege: radix ex c in se plus quater F

Figura 1:



sequitur p. 12

# UBI CONDISCATUR LATINE LOQUI

## SEMINARIA LATINA

Dr P.Caelestis Eichenseer hoc anno moderabitur tria seminaria, ubi sua solita via iucunde docebit sermonis Latini usum cotidianum:

-27/7 - 2/8/1986, Morsaci (Morschach) in

HELVETIA, qui locus saluberrimus aliquibus centum quinquaginta metris supra lacum "Quattuor Regionum" situs est, unde montium clivi bene accessibiles sunt maximeque mirabilis prospectus ad lacum ipsum et ad montes circumiacentes praebet. Ad quod participandum, interroganda est:

Erica ROTH

Aeschistr. 6

CH- 3110 Münsinge

Tel. 031/920823

-16/8 - 23/8/1986, Vestendae in BELGICA (ad litus maris harenosum), ubi pernoctatio victusque in hospitio communi relative parvo constant. Ad quod participandum, interrogandus est:

Dr. Gaius LICOPPE

Av. de Tervueren, 76

B-1040 Bruxelles

Tel. 02/7350408

-24/8 - 6/9/1986, Bottropii (Bottrop) in Rhenania Vestfalica (GERMANIA); seminarium duarum septimanarum, quibus consuetudo loquendi in usum expeditiorem evadere solet. Ad quod participandum interrogandus est:

Rochus HABITZKY

Albertus-Magnus-Strasse 7

D-4100 Duisburg 25-Huckingen

Tel. (0203) 78 14 30

Pro ipsa institutione unius septimanae 120 Marcae Germanicae, duarum septimanarum 240 marcae solvendae sunt, quae pecuniae summa mittatur ad hanc sedem nummariam: VOX LATINA 18353-661 Postgiroamt Saarbrücken-Deutschland. Pecunia pro habitatione et victu solvetur in ipsis deversoriis vel hospitiiis.

## FERIAE LATINAE

pro his qui intenso labore se studio et usui linguae Latinae dedicare voluerint anno 1986,

moderante Prof.P.Suitberto SIEDL,

deo volente celebrabuntur his in locis:

-16/7 - 25/7 1986

Katoliski dom prosvete SODALITAS

A-9121 Tainach/Tinje (Carinthia-Austria)

-4/8 - 11/8/1986

Cistercijanska opatija STICNA

YU-61295 Ivancna Gorica (Slovenija-

Jugoslavija)

ad quas ambas Feras participandas interrogandus est :

P. Suitbertus a S.Joanne a Cruce O.C.D.

Karmeliten-Konvent

Landstrasse, 33 A-4020 Linz a/Donau

-23/8 - 30/8/1986

in castello "LA CASTILLE"

F-83260 La Crau (Provincia-France), ad quas Feras participanda interrogandus est:

M.C.DESESSARD

Résidence des Collines, C9,

rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

Tel: 93 49 01 91

# PONS ASINORUM

sequitur p. 10

## Termini technici

q.e.d.	quod erat demonstrandum
s.q.	sic quaeres
hortogonius	rectangulus
orthogonius	rectangulus
latus	Quadratwurzel
	racine carrée
	square root
embadum	flache
	aire
	area
multiplicare in se	quadrieren
	carrer, élever au carré
	to square
interstitio	Unterschied
	différence
	difference
integer	ganzzahlig
	integral
	entier


## MELISSA LITTERARIA SEQUITUR

et gannientem deicit procul. Sed ille dum videt coram omnibus ab Ursula sic despici formam elegantem corporis tam parvuli, tam vividi, tam belluli, recedit illinc conquerens asperrimam iniuriam suae Ursulae, ancillulasque petit et advolat celer in viliora stromata, timens herilem in lectulum non amplius errorem ob istum admittier, in lectulum tam divitem, tam splendidum, tot floribus lectissimis sparsum, tot optimis olentem odoribus qualis Hydaspes vel Saba non edit, et tam bellule, tam molliter substratum, ut ipsa Cypria eiusque filius, qui in illum devolat et hinc et inde subsilit, miratus apparatus et elegantiam raramque pulchritudinem, tali potiri saepius desiderent, in quo quiescunt Ursulae tenella membra, illius inclutae Ursulae, quam si videret Iuppiter, Iunone spreta et omnibus mortalibus, velox ad hanc adscenderet non imber aureus, nec ignis lucidus, valens nec arcu Cynthia, non squameus serpens, nec albicans olor, nec candidus taurus, neque Satyrus celer, nec pastor armentarius, nec fulvus ales, sed deus. Illum vicissim omnes fovere servulae nituntur atque pascere. Sed denotat spectans ocellis Ursulam quanti antea illam fecerit; quem sera cubantem blandulo circumplicat amplexu, oborta e lumine lacrimula, et illum donat uno et altero suaviolo, et in reconditam secedit aulam cum duabus servulis, secum catellum deferens, et in miselli guttur ingerit cibos lautis deorum ferculis suaviores, et calore confovet ut ipsum ab Orco retrahat. Conatur ille sumere, haud tam iudicans	115 120 125 130 135 140 145 150 155 160
--	--

sequitur P.12

## MELISSA LITTERARIA SEQUITUR

se posse convallescere, quam ne putetur spernere elegantia herae suae munuscula. Sed lingua iam palato adhaeret, mandere nec dentibus quicquam valet. Tunc intuetur Ursulam, quasi rogans ignoscere ut sibi velit si quod scelus conceperit, tenellula labella dum eius stringeret - statimque vitam deserens, se ad Tartara tenebricosa proripit. Eheu! Catellus occidit pulchellus, heu! catellus ille, inquam, occidit, qui flosculus fuit catellorum omnium, quotquot fuerunt, quotque erunt, quem praeditum tot artibus formaverant dii Ursulae in spem gratiae. Nam dulce solaciolum erat, cum viveret, cuiuslibet molestiae suavisque delectatio, dum dexterum dumque alterum crus verberat cauda, aut in altum more semicirculi reflexus arcumque aemulans se bellule venustulo dorso elevat, spectante cuncta haec Ursula. Quae dum catellum mortem obire conspicit, quem plus suo illa corculo amavit ac ei fuit iucundior quam Lesbiae passerulus et quam Cupidinis parenti et Iasidi celerrimae mala aurea, effundit ab suis ocellis lacrimas more effluentis rivuli flavosque scindit unguibus crines, sua	165 170 175 180 185 190 195	tunditque palmis pectora, seque impiam vocat vocatque perfidam, et frigidis serpentibus crudeliorem, quod catellum amabilem per hos dies contempserit, negatque velle aut posse posthac vivere privata tanto gaudio tantoque caeli munere, ac gravissima suo minatur corpori. Sed blandulis sermonibus tum sedulae solantur illam servulae. Quae cum doloris maximi praesentibus notas dedisset omnibus (nam cognito casu catelli, plurimi eum in locum convenerant), lenire visa est alta cordis vulnera. At numquam ab illo tempore ridere vel gaudere vidimus, nec id vidisse quemquam audivimus. Quin si catelli fiat huius mentio, non temperare a lacrimis potest et adiurat fore ut, dum spiritus tenellulos artus reget, contenta numquam vivat, ac omnes deos incusat, illosque arguit crudelitatis, quod sibi tot gaudia, tot deliciola extinxerint. Quare obsecro te, summe Olympi conditor, tecumque reliquos caelites, qui curam habetis omnium mortalium rerum, ut catellum ab inferis ne educere ad vitam gravemini, vel ut formosiorum desuper mittatis huc, pulcherrimae si ulla amplius vos cura tangit Ursulae.	200 205 210 215 220 225 230
--	---	--	---



**RUDENTIS** operis cinematographici omne genus videocasetarum peti potest. Litteras interrogatorias ad Melissam mittantur.

### LUSTRATIO LITORIS BELGICI

Quo opusculo, quod conscripsit Gaius LICOPPE et diligenter emendavit Dr P. Caelestis Eichenseer, adumbrantur geographia et historia litoris Belgici.

Pretium est 120 Fr. B. inclusis sumptibus cursualibus.

### MELISSAE EMISSIONES LATINAE

Prima phonocaseta unius horae perfecta est.

Si quis nunquam Latine loqui audiverit, auscultet complures locutores ex diversis regionibus oriundos. Materia est varia. Praecipue tractatur de primis emissionibus radiophonicis Latinis et de Ludis Latinis Augustanis.

Pars etiam dedita est textibus classicis.

Pretium phonocasetae est 250 F. B., inclusis sumptibus cursualibus.

**LATINE LOQUI** ♥ Hoc adhaerenti pittacio significare poteris te Latinitatis Vivae cultorem esse. Unus venit 50 F.B. - Tres veneunt 100 F.B.

Pecunia mittatur ad computum mandatorum cursualium Bruxellensem (CCP. Bruxelles), cui titulus "AMICI MELISSAE" et numerus 000-1484533-45.

Ii extra Belgium habitantes, qui pecuniam mittunt ad computum, cui index "AMICI MELISSAE", instanter rogantur ut tantum alterutro ex his duobus solvendi modis utantur:

- MANDATUM CURSUALE INTERNATIONALE

- EUROPAEA ASSIGNATIO ARGENTARIA (Eurochèque), ubi pretium solvendum francis

Belgicis indicari debet et ubi numerus chartae argentariae eius, qui pecuniam mittit, etiam inscribi debet.

Cum ceteri solvendi modi adhibentur, tanta pars pecuniae accipiendae argentaria praecipitur, ut plerumque vix quicquam supersit. Gratias